

6.
PÆAN EPITHALAMIUS,
Cum Serenissimus &c. Princeps ac
Dominus

DN. FRIDERICUS

CASIMIRUS,

Curlandiæ & Semigalliæ Dux, &c. &c.
auspicatissimo connubio sibi
jungeret

Serenissimam Principem ac
Dominam

DN. ELISABETHAM

SOPHIAM,

Marchionissam Brandenburgicam &c. &c.

Die 19. Aprilis 1691.

carmine votivo

Berolini

humillimè representatus

à

NICOLAO de CASTELLI.

BEROLINI,

Literis SALFELDIANIS.

6.



ARma Virumque cano, Boreæ qui nuper ab oris
Marchiacas fato terras Berlinaque venit
moenia, magnanimi flammis incensus amoris,
Arma cano, non quæ Mavors in proelia stringit;
Sed quæ castus amor generosis mentibus aptat,
quæ Venus æterno molimine temperat Orbem:
Vos mihi Pierium datis in pia metra calorem,
Aonides, Lectique sacri mihi panditis aras.
Ergo mihi gravium spectacula grandia rerum
dicite, ne possint hæc ignorare nepotes.
Est in conspectu Gothici Curlandia Ponti,
Sarmatico quâ se jungit Lithuania regno,
terra ferax frugum, populis habitata vetustis:
Terra patens fluviis nemorumque recessibus ampla,
Portubus & lacubus mellisque liquore beata,
& pecudum gregibus per pascua læta vagantum,
dotibus & variis, quicquid novat integer annus.
Hæc genus acre virum, Livos, Henetosque Gothosque,
assvetum Pharetris Curum, durosque Gelonos
extulit: Hæc Abios & Alanos, hæc Agathyrfos:
Hic circum Lithuana volat Semigallaque pubes,
hic tenet antiquum bellis Samogitia nomen.

Illic egregiâ fasces virtute *Gothardus*
Obtinuit *Princeps*, Corybuti sanguine cretus,
V Vitoldique Nepos: & major deinde *Jacobus*
culmine, Brennonicam junxit sibi foedere Nympham.
Optimus hoc *Princeps Friderich-Casimirus* ab Ortu

pro-

progenitus, *Brenni* petiit quoque fervidus arcem,
 Ut sibi præstantem conjungat corpore Nympham
 Connubio stabili, propriam quam fata dicarunt
 Cui Genus & Virtus & cui decus enitet ore.
 Improvisus adest igitur! Quis gaudia verò
Principis, amplexus alacris quis proferet aulae?
Potstamii Fridericus eum quum *Tertius* Heros
 detinuit, mentem suspensa silentia librant.
 Donec pulvereo sub turbine fideris instar
Principis emicuit facies. *Electo*r eundem
 deducit: gavisa recens per moenia clamor
 tollitur: IPSE VENIT, portas numerosa per omnes
 turba salutatis effunditur obviam signis.
 Jam tormenta boant, præeunt per compita turmæ,
 splendida magnificam distinguunt effeda pompam:
 Multus Eques portas ex Nobilitate subintrat,
Brandenburgiaci, fortissima pectora, *Fratres*
 Sublimes in equis comitatum protinus ornant,
 Et *Pater Ascanius* priscae Virtutis imago.
 Sic vehitur *Princeps* ad celsa palatia *Brenni*:
 dumque suam spectat Nympham, trahit altius ignes,
 & stupet, & visæ correptus imagine formæ
 æstuat, & tardos queritur procedere soles.
 Jamque die festo tædas Hymenæus amorque
 præcipiunt, largis fatiantur odoribus ignes,
 Sertaque dependent tectis: ite *sponsus* ad aram,
 Datque capitque fidem dextris cum Numine junctis,
 Sponsa gradum sequitur, *Magni Soror* inclyta *Brenni*,
 antea multorum spes invidiosa procorum;
 Nunc solum *Friderich-Casimiri Principis* astrum:
 Flagrantes perfusa genas, cui plurimus ignem
 Subjecit rubor & calefacta per ossa cucurrit.
 Sanguineo niveum veluti violaverit ostro

Si quis ebur, vel mista rubent ubi lilia multâ
alba rosâ: tales virgo dabo ore colores.
Sic olim multâ deductam lampade fratrum
Harmonien Cadmi subiisse palatia dicunt.
Exin se cuncti divinis rebus in arcem
perfectis referunt, gratantia verba ferentes.
At domus interior regali splendida sumptu
instruitur, mediisque parant convivia tectis.
Tum dapibus mensas onerant, & pocula ponunt,
munera lætitiæque Dei, vinumque coronant.
Arte laboratæ vestes, ostroque superbæ,
ingens argentum mensis & fortia Patrum
facta micant auro: resonat concentibus aër.
Ære ciere viros tentat Misenus utrinque:
Carmina dant Musæ numeris, dant júbila chordæ,
Et moderata sonum vario spiramine buxus.
Ingeminant plausum *Brenni Curia* Ministri:
æra sonant explosa polo: micat ignibus æther:
Consonat assensu populi precibusque faventum
Regia, nec superest tristis locus ullus in urbe,
Civis ubique sacros cantat Pæanas, & ipse
Suevus ovat, strepit omne nemus, collesque resultant.

Expleri mentem nequeo flagroque tuendo:
dumque meis oculis nunc huc nunc divagor illuc;
Ecce novum subito se promit in arce theatrum:
Tres Nymphæ medium penetrant se prorsus in agmen
insolita specie, quæ nil mortale gerebat.
Prima subit Juno, Sceptri gravitate verenda:
Altera Pallas adest, armis metuenda virago:
Tertia pacis amans dulci Venus aurea Cesto.
Concordes equidem jam nunc sermone fruuntur,
Judicium Paridis nec jam pro tempore curant.
AUGUSTUM verò regali pegmate BRENNUM

allo.

alloquitur *Juno*, submittens fulgida sceptrā:
Quantum Te memorem, Princeps, decus omne Tuorum!
Quantus in ore Pater! radiat quam sancta voluptas
frontis, & augusti majestas grata decoris!
Imperii columen, sociorum strenue vindex!
Nuper ut undantem bello defendere Rhenum
& cohibere feros potuisti cominus hostes!
Primus flumineum forti luctamine Celtam
Compræsti, Ductor! ne sic violentus ovaret.
Quin haut exiguo cognovit sanguine Gallus
quid possit Brennus, quid Marchica dextera possit.
Te colit Europæ studium: Te *Maxime Princeps*,
miratur validis *Cæsar Leopoldus* in armis.
Quodque suam securus arat Cremyona Colonus,
munus opusque tuum, Per Te Germanica tellus
libertatis adhuc retinet defensa tenorem,
Si titulos annosque tuos numerare velimus,
facta premet annos. Pro Te, *fortissime*, vota
publica suscipimus, patriæ tibi debita *Patri*.
O felix, servatus amat quem Belga Patronum!
O mundi communis amor! cui militat æther,
& bona fata viam carpunt! Quem Turca tremiscit.
Adventum cujus crebro petiere Quirites
Marchiaci gemitu, cujus nunc lumine gaudent,
Non sic virginibus flores, non frugibus imbres,
prospera non fessis optantur flamina nautis:
quam tuus adspectus populo, doctisque Camœnis.
Vive Valeque tuâ, *Princeps*, cum *Principe* sospes!
Vive! Tuo jam consilio soror optima nubit,
exhilaratque tuo Curonum littora nutu
Hæc ubi dicta dedit, *Sponsum* fortissima Pallas
alloquitur: flexâ demittens ægide telum:
Heroum sanguis, Curonum maxime Ductor,

Salve,

Salve, ter salve! Germen de gente Sicambra!
Postquam tu patrias cepisti Rector habenas,
Affulget melior Curonum Delia rebus.
O quantum mutata tuo fortuna paratu!
Ut sese pariter diffudit in omnia terra
membra vigor, vivusque redit calor urbibus ægris!
Nunc sapiens Princeps SAPIENTIS prede Sororem
FRIDRICI! Tua sit DUX ELISABETHA SOPHIA!
Hanc tibi jungit amor, felix diceris erisque,
Hæc vicit CURUM Proles Aquilina LEONEM,
Hæc CERVUM superat capitis fulgente coronâ,
Nontamen objectans oculis immitis arenam;
Sed potius virtutis opes, miracula formæ,
Sidereos mores, dulcis libamina lingvæ.
Non odio stimulante premet; sed Principis alnum
ex collo pendeat onus, curasque levabit.
Ecce tuæ forti gratans Germania plaudit,
Sarmatiæ populi te solum ferre beatum
ardescunt, BRENNI quem stirps ita regia tollit.
Circumstant læti proceres; undare videres
ima viris! altas effulgere matribus ædes!
Exsultant juvenes æquævi Principis annis,
Temnunt prisca senes, & in hunc sibi prospera fata,
gratantur durasse diem: Nunc vivere gaudent.
Auguror ipsa tibi, *Dux consummate*, beati
augurium fatale tori: Quin ipsa tubarum
armorumque potens, dextram, quâ fortia turbo
agmina, quâ stabiles portas & moenia vello,
Jam pacis laxo studiis, hastamque repono,
insolitisque volo galeam mitescere fertis:
Et precor, ut longum Valeas!

Dum loquitur, medias inter pulcherrima voces
ipsa Venus ridens gressuque superbior intrat


Idaliæ

Idaliæ circumdextra lævâque sorores:
 Hæc speculum præbet, largos hæc nectaris imbres
 irrigat: Ambrosiæ succos hæc fundit, & ambram
 porrigit: hæc flores aurata per atria spargit.
 Illam præterea blandi comitantur Amores,
 & Jocus, & facilem sustollens Gratia vultum:
 Et Nutus pudibunda gerens vestigia frontis:
 Et dolor oblectans animos, & dulcis Amaror.
 Tum sequitur nullo constricta Licentia nodo:
 Votaque cum Gemitu: Ritus formidine liber:
 Curaque spesque simul, desideriumque molestum.
 Insuper ignavam noctem somnosque perosæ
 Excubiæ: Lacrimæque rudes, & gratus amantum
 Pallor, & in primo titubans Audacia factio:
 jucundique Metus, & adhuc tremebunda Voluptas,
 Hos inter comites roseâ cervice Juventa
 excludit senium, membrisque dat alma vigorem.
 Tunc sic orditur svavi Cytherea loquelâ:
 Interea, Gradive, tuos compesce furores,
 ut foli vacet Aula mihi: procul aureus horror
 thoracum, gladiosque tegat vagina minaces.
 stent bellatrices Aquilæ, sævique Leones!
 Fas sit castra meis hodie succumbere signis.
 Tibi pro Lituis, & pro clangore tubarum
 molle Lyræ festumque canant. Connubia fiant
 præ bello, mediis spirent crateres in armis.
 Salveter salve FRIDERICI Nata VVILHELMI!
 Salve DOROTHEÆ proles augusta beatæ!
 Et cape dona sacri properè, neque differ, amoris,
 Tempus adest! jam purpureum ver svadet amorem,
 In terris hominum genus omne, genusque ferarum,
 & genus æquoreum, pecudes pictæque volucres,
 in tædas ignemque ruunt: amor omnibus idem.

Accipe


Accipe fortunam, cui Te Domus alta paravit,
Cara Deum Soboles, & dignum pignus Avorum!
Thessala ceu matrem minor est imitata virentem
Laurus, & ingentes ramos olimque futuras
promisit jam parva comas: sic, BRENNICA NYMPHA,
divino MAGNI lucas fulgore PARENTIS,
maternosque refers mores, exempla que tradis
Prisca pudicitiae. DUCIS es dignissima votis.
Desine sollicitis animum, pulcherrima curis,
& vano torquere metu: tibi digna dabuntur
Sceptra: ne horrefcas borealia climata mundi.
Non sunt Cimmeriae tenebrae, nec inhospita tellus:
Et PRINCEPS tibi Phoebus erit radiisque fovebit:
Tu radios junges illi: jubar est amor ipse.
Non hic destituit Medeam Grajus Jason;
Non cadit hic miserè fati exterrita Dido;
Non bibit hic missum Cyatho Sophonisba venenum;
Sed pia CURETUM DOMINI connubia servant.
Mox erit ille dies, quo læta Borussia temet
excipiet: liquido deducet Pregela cursu:
Te Chronus & Bugus, Muchavecius, & Rubo, Drixus,
Et te Vinda colet, Dominam te Duina vocabit:
Mitoviae Cives, pandent tibi corda fideles.
Vivite felices, & nostrum discite munus:
oscula mille sonent: animos liget ipse Cupido:
Labra labris coeant & vivida corpora jungant.
Vivite felices & ab omni parte beati!
Et date progeniem, paullum variante figurâ
Heroo vultu quæ reddat utrumque parentem,
reddat Avos, & quæ Cronum sceptrum gubernet.

•• (O) ••





Rm
Ma
mo
Ar
Sed quæ castus a
queis Venus æte
Vos mihi Pieriur
Aonides, Lectiq
Ergo mihi gravi
dicite, ne possint
Est in conspectu
Sarmatico quâ f
terra ferax frugu
Terra patens flu
Portubus & lacu
& pecudum gre
dotibus & variis
Hæc genus acre
assvetum Pharet
extulit: Hæc Ab
Hic circum Lith
hic tenet antiqu
Illic egregia
Obtinuit *Prin*
VVitoldique Ne
culmine, Brenne
Optimus hoc *Prin*



ni nuper ab oris
que venit
ncensus amoris,
a proelia stringit;
at,
bem:
m,
n
s:
ampla,
t,
ntum,
nus.
Gothosque,
os
fos:
ibes,
is,
us
ympham.
ab Ortu

pro-